

§. 14. Hisce vero tanquam universalibus admirabilis quidem aquarum ac fontium varietas aliquo modo manifestatur, cognitio tamen adhuc satis confusa est ac permanet, attingendo tantum sensibilibus corporum commixtionem, relinquendo vero spirituosam sive intimiorem rerum mineralium miscelam, quæ corporali nunquam non virtuosior est ac purior.

§. 15. Hinc perscrutatis signis universalibus, potius accedendū ad specialia, intimius mixtam vim declarantia, scilicet ad *COCTIONEM, EVAPORATIONEM, & DESTILLATIONEM*, quæ summum mixturæ aquarum ac fontium ferunt iudicium, non modo corporales salium, succorum, mineralium, metallorum terrarumque mixtiones demonstrando, sed & spirituales, singulis particulis aquæ sive fontis verè & perfecte mixtos, vapores exhibendo, unde manifestius de vi naturali vel medicata licet argumentari.

Applicatio Generalium signorum bonitatis ad nostrum fontem.

§. 16. Præmissa sic generalia fontium & aquarum bonitatis signa, si paucis applicare properamus ad fontem nostrum *VVILHELMINVM*, is omnino est fons, non quidem miraculosus, singulari radio divino hactenus aspiratus, sed naturalis, perennis, salubris atque medicus, ex naturali puritate, pelluciditate, levitate ac iucunditate, suisque ex ductibus sublimatione subterranea destillatus perpetuus, unde post hominum memoriam ultra unum & dimidium seculum à tempore millesimo quingentesimo, scilicet sub Regimine

mine